

VIII. LITTERAE RESTIUM

A. Litterae universales per modum restium missae ad terras Russiae, ante nuptias Regiae Maiestatis.

Sigismundus etc. Universis et singulis etc. Significavit nobis illustris dux Constantinus Ostroviensis se per exploratores suos certo comperisse sex milia Thartarorum applicuisse ad Saffran et opportunum tempus invadendi terras nostras Russiae expectare. Cum autem in propinquo termino nuptias nostras faustissimas et hospites multos ac insignes tam ex Italia et Germania, quam aliis partibus vicinis habituri, nihil^a deterius et ignobilius accidere posset nobis at universo regno nostro, quam, ut quod Deus auferat^b, in conspectu et praesentia tot externorum hominum aliquid sinistri accidere deberet. Quare hortamur tuam fidelitatem, ut cum haec res agitur, non solum pro conservatione bonorum uniuscuiusque vestrum, sed etiam pro bono existimatione nostra et regni visque haec non magna et misera hostium dicitur, proficiscatur cum campiductore, capitaneis et aliis gentibus nostris, quo meliori et celeriori modo potest contra ipsos hostes, quando intelliget eos irrupisse. Speramus enim, quod iuvante Domino Deo, facile profligari et nobis regnoque nostro perpetua gloria comparari poterit. Volumus autem, ut has nostras litteras unus ad alium sibi viciniorem transmittat. Ultimus vero illas loci capitaneo reddat, facturum tua fidelitate pro virtute sua et gratia nostra. Datum Cracoviae etc.

B. Aliae litterae universales per modum restium missae ad terras Russiae.

Sigismundus etc. Universis et singulis, palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus et nobilibus in terra Leopoliensi habitantibus et consistentibus, sincere nobis et fidelibus dilectis, gratiam regiam. Magnifici, generosi, nobiles, sincere et fideles dilecti! Facti sumus certiores per exploratores et interpretes nostros, quos in orda Thartarorum habemus, quod Bahatir-soltan, qui nobis anno praeterito iuramentum praestitit coram magnifico Alberto Gastoldo nuntio nostro, magnis viribus stet instructus, ut nostra dominia adoriatur. Nos licet ea praesidia fecimus et collocavimus in terris Russiae, quae fieri ex contributionibus publicis in conventu praeteritis decretis potuerunt, intelligentes tamen ipsa praesidia non sufficere ad tantam hostilem vim reprimendam et nolentes per aliquam negligentiam reipublicae deesse, hortamur vos universos et singulatim unumquemque vestrum, ut ubi necessitas intenderit, vos in subsidium stipendiariorum nostrorum ad locum, qui fuerit per campiductorem regni nostri designatus movere non recusatis. Satius est enim in armis esse et rem publicam tueri, quam domi manendo videre turpiter patriam et bona tam suorum propinquorum quam sua dirimi at vastari. Facturus pro virtute sua et gratia nostra. Volumus autem, ut has nostras litteras unus ad alium sibi viciniorem transmittat. Ultimus vero illas loci capitaneo reddat. Datum Cracoviae, die sancti Viti, anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo [15 VI 1518], regni nostri duodecimo. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

^a W rękopisie: nichil.

^b Zapewne zamiast: avertat.